

Meddelelser
fra
Universitetets Archiv.

II.

Dr. Hans Povlsen Resens Forsvar for sin Lære.

Striden angaaende Professor Resens Retroenhed er en af de betydeligste theologiske Kontroverser, som have været førte i den danske Kirke, den var et af de sidste Optrin i den langvarige Fejde mellem den kalviniserende Retning, der var kommen til Orde i Dr. Niels Hemmingsen, og den strængt lutherske Skole, som i Resen havde en af sine talentfuldeste Repræsentanter. — Efterat det var lykkedes Resen at fælde sine Modstandere Kock og Aalborg, maatte han, som bekjendt, inden han kunde agtes værdig til at beklæde Sjællands ledige Bispestol, først feje for sin egen Dør, og klare de Beskyldninger fra sig, som under de forudgaaende Stridigheder vare fremkomne mod hans Retroenhed. Han gjorde det ved sit Skrift: *De sancta fide*, »det dybsindigste Forsøg paa en spekulativ Opfattelse af den christelige Lærdom, som vor ældre Theologi har at opvise¹«. Til Bedømmelsen af dette Skrift indkaldtes alle Danmarks Biskopper. Fra den 4de til den 19de Juli 1614 samledes de med Universitetets Professorer i daglige Møder, hvori Skriftet forelæstes, Indvendinger opkastedes og be-

¹ *Helveg*: Den danske Kirkes Hist. efter Reform. 2 Udg. I, 295. (Sml. *Grundtvigs* Dom om Resen i Roskilde-Saga S. 66—69).

svarede. Den første Del af disse Forhandlinger (indtil den 16de Juli) er meddelt af Pontoppidan², men mærkeligt nok afbryder han midt i en Sætning, og forbigaar saavel Slutningen af Forhandlingerne³, som Bispernes Erklæring, der dog uden Spørgsmaal er den vigtigste Del af Sagen, da vi først her ret se Oppositionen om end beskedent og tilbageholdendt at komme til Orde, medens Professorerne, med Undtagelse af Dr. Kort Aslaksen, vare enige i en ubetinget Godkjendelse af Resens Lære⁴. Denne Opposition kan vistnok forklares, idetmindste hos enkelte af Bisperne, som udsprungen af kryptokalvinistiske Tendenser; men den kan tillige, og maa efter Ordene nærmest opfattes som en Protest i Menighedens Navn mod den spekulative Udvikling af adskillige Dogmer, hvorpaa Resen i sit ovennævnte Skrift havde indladt sig. Set fra denne Side vil det efterfølgende Tillæg til Pontoppidans Annaler ikke savne sin kirkehistoriske Betydning.

Først meddeles da (efter Konsistoriets Kopibog 1602—32, Fol. 97—104) Slutningen af Forhandlingerne paa den 12te og 13de Session fra det Sted, hvor Pontoppidan slipper, derefter følge Biskoppernes Erklæringer.

XI. Vocem Naturæ minime omnium proscribi, imo juberi quodammodo in disputatione simul et declaratione,

² Ann. eccl. Dan. III, 648—76.

³ Den afbrudte Slutning af Forhandlinger synes ogsaa at have været *Helveg* noget paafaldende (se anf. Skr. I, 297).

⁴ Sammenligner man Professorernes Censurer (*Pontoppidan* anf. Skr. III, 666—68), vil man finde en mærkelig Overensstemmelse i Udtrykkene; i Konsist. Arch. Pakken Nr. 184, bevares endnu et Par af dem, skrevne med samme Haand (som det synes D. Ole Worms) og kun underskrevne af Udstederne, D. Kaspar Bartholin og M. Jesper Brochmand. Der er derfor Grund til at antage, at Professorerne, for at undgaa at modsige hinanden i deres Censurer, have vedtaget disse i Forening, dog med saadanne Forandringer i Formen, at de maatte synes uafhængige.

ut usurpetur ad populum non turbandum, ulla ratione, quam rectissime.

XII. Christum dici *συναμψώτερον* etiam respectu ad Deum, sev visionem ejus æternam et prævisionem ante exhibitionem juxta cap. 4. neque ita quicquam derogari realitati conceptus et nativitatis temporalis, cui erat certum initium in natura etc. ut sic intelligantur citata ex Fulgentio, Vigilio et aliis.

XIII. Omni modo detestandam esse et divisionem et confusionem naturarum: neque aliud quicquam contra vel dici vel intelligi.

XIV. Ceremonias in nostris Ecclesiis approbatas, retinendas prorsus, et juxta ordinationem et sententiam jam latam a Serenissima Regia Majestate, et hoc exprimi etiam in capite ultimo.

Atque ut hæc simul considerent Dni Episcopi, de istis quoque rogantur amicissime, quandoquidem ex singulari gratia Dei de rebus ipsis, cum fundamentis suis tam bene convenit. — Soli Deo Gloria in æternum, Amen.

Hæc replicatio, una cum recensione priore, mittebatur Dnis Episcopis e consistorio per Pedellum, a quo congregati in diversorio D. M. Joan. Ægidii acceptarunt eam, referente eodem ministro Academico.

Sessio decima tertia, 19 Julii hora 2.

Aderant Mag. D. Rector. D. Resenius. D. Casparus. M. Gasparus. M. Alanus. M. Christianus Longomontanus. Item sex Episcopi.

Præfatus Mag. Dnus Rector, se eodem die hora 8 accersitum esse in arcem a Mag. et illustri Dno Bredone Rantzovio vicario Regio, qui ipsi in mandatis dedit, ut e vestigio rursus Dnos Professores in consistorio convocandos curaret, invitatis etiam Dn. Episcopis. Causam vero hujus postremi conventus hanc esse innuebat: aderant sibi Dni Episcopi censuram suam ad scriptum Apologeticum D. D. Joh.

Resenii in consistorio recitatam oblaturi, et una quoque parati erant ad offerendum sibi responsionem suam ad replicationem D. Resenii, quæ in consistorio lecta non fuit. Itaque svasit Illustris vicarius regius, ut hanc quoque responsionem suam prius in consistorio audiente D. Resenio recitandam curarent, antequam sibi eam ad regias manus perferendam traderent; et ante omnia svadebat, ut omnes nostras curas et cogitationes istuc dirigeremus, ut divinæ gloriæ et diuturnæ Ecclesiarum nostrarum paci atque tranquillitati consuleretur, qua in re non solum sibi sed etiam Serenissimæ Regiæ Majestati rem gratam, et nobis ipsis utilissimam præstari constanter affirmabat.

D. Resenius præmissa invocatione nominis divini pro veritatis incolumitate et æterna Ecclesiæ salute, addidit sibi quædam etiamnum dicenda in primis ad Dnos Episcopos, tum ne candor in ipso desideraretur uspiam, tum ut finis exoptatus huic conventui imponeretur feliciter.

Ad prius dixit ille: Candor in hoc ævo res intermortua pene est, et propterea danda opera nostri ordinis hominibus, ne inter nos quoque intermoriatur; se quidem præstiturum omnia liberaliter ut prius ita jam quoque quæ eo spectarent. Atque ideo quod admonitus nudius quintus et heri insuper, nonnullos posse offendi phrasi de manducatione indignorum, eam havdquaquam puto suspectam esse debere nostris Ecclesiis. Est enim ex verbis Apost. 1 Corint. 11. ubi duo notanda, primum *ὡστε* initio versus, deinde verba diserta. *ὡστε* concluditur ex antecedentibus q. d. apostolus: quandoquidem hoc est corpus meum: *ὡστε*, itaque, igitur qui manducat panem hunc indigne etc. Sententia ergo sequentium est, quod manducans panem istum, de quo in sacramento, ratione ejus generali, essentiali dictum est: hoc est corpus meum, — et quidem indigne, iudicium sibi manducet, non discernens τὸ σῶμα τοῦ κυρίου, illud corpus Domini etc. Hæc affirmabat pluribus ita tractata a Bugenhagio secundum Lutherum in colloquio Flensburgensi anni 29. pro nostris Ecclesiis contra Melch. Hofmannum sacramentarium etc.

Idem secutum fuisse Palladium etiam in quibusdam posthumis scriptis suis, relictis nobis, Hemmingium habere eandem phrasin, dignis et indignis, expressam in Enchyridio anni 59. libro inscripto serenis. R. Maj. et usitato in Ecclesiis nostris, item in hac Academia sæpius proposito et commendato, Item in Tabula de cœna latina, de mandato laudatissimi Christiani III. anno 57. priusquam promoveretur Doctor Theologiæ, et in eadem quam convertit in linguam Danicam, cum ageretur de Formula concordiæ, ita jussus a laudatissimo Friderico 2. anno 74, item in revocatione, concepta, in hoc eodem loco, anno 76.

Indicia manifesta dixit esse ejusdem sententiæ in visitatione Saxonica et postilla Ecclesiastica Lutheri, præterea quæ sunt in 10 Articulo Conf. Avg. et ejus Apologia, unde prælegebat ipsa verba ferme per totum de præsentia corporali etc. his qui sacramentum accipiunt etc., admonens ex fine eorundem verborum, accipienda omnia de Christo vivo, ne quis vel temere diceret vel blasphemæ quæreretur amplius, an corpus Christi in cœna esset vivum vel mortuum. Subjungens præterea, quod necesse esset, dissentientes ab ista phrasi suspectos fieri etiam dissensus a confessione nostra, et ita illam recte esse positam.

Ad secundum hæc erat ferme: Jussus sum quærere a vobis Dnis Episcopis ante conclusionem hujus conventus extremam, primum an tergiversatus uspiam me declarare aut declarationem præsentem exponere, ubi hoc a me requisivistis?

Respondit primus Episcopus: Diffiteri se non posse, quin ille se exhibuerit promptum. Secundus: ex actis hoc patere. In qua sententia fuerunt reliqui, et subjecit ad extremum M. Ivarus: promptissimus.

2. An vellent ulterius aliquid quærere, vel haberent, quæ requirerent ulteriorem declarationem, et obtulit se promptum adhuc ad satisfaciendum ipsis?

Responderunt hoc patere ex replicatione et censura etc.

3. An omnes ex æquo consentirent in censuram; quia singulatim non dixerant suffragia?

Responderunt, omnino, quod testarentur manibus suis.

Quæsiverunt deinde Dni Episcopi, an esset replicatio D. Resenii, an Academiæ?

Respondit esse suam, hic dictatam, prælectam, et hinc missam. D. Resenius admonuit, ut candide ageretur per omnia et de concordia salutari.

Respondit M. Nicol. Arctander: Deus novit, quam optemus, ut omnes simus concordēs, juxta illud:

Sint unum, doceant unum, fateantur et unum,

Qvi bene de Christi nomine nomen habent.

Cavsæ avtem erant qvare noluimus censuram Replicæ exhibere, quod illud a Maj. Regia nobis non injunctum, et ne rursus replicaret Resenius et sic fieret progressus in infinitum: se non posse adeo diu hic subsistere propter negotia.

Recitabatur igitur replicatio ab ipso D. Resenio interpositis Responsionibus ex scripto Episcoporum, quod recitabat primum M. Christianus hoc modo ferme:

Ad 1. articul. in generali censura responsum, Terminos de Trinitate et mysterio Christi adhibendos non alienos sed purioris Ecclesiæ.

Respondit Resenius non alienos tantum et sine explicatione purioris Ecclesiæ.

Ad 2. qvatenus approbatum caput primum et 2 dictum in censura.

Ad 3. 4. 5. sensum recipimus, sed ἀνθρωποπάθειας rejicimus.

Resenius dixit, vocem illam jam esse satis explicatam.

Ad 6. obscurum et novum hunc articulum esse et magis pertinere ad Metaphysicam et Dialecticam, quam ad Theologiam.

Respondit Resenius: usum ejusmodi esse communem etc.

Ad 7. de Cusani dicto actum cap. 4. in censura, non statuimus æternam Dei notionem et sapientiam etc. con-

stituere rerum in tempore creaturarum essentias, ideo hæ disputationes potius omittendæ.

Respondit D. Resenius, minime omnium se statuere ita constitui essentias rerum in tempore: allegata explicanda non extra scripturam, neque talia esse quæ ratio scrutetur, tum se obtulisse, ut ommitteretur illud dictum Cusani, si quis eo offenderetur, et sic convenit inter ipsos.

Ad 8. de distinctione Deo et nobis dixerunt se 4 cap. censuræ se explicuisse; et Theologi doctiores judicent, an exempla adducta appropriata sint huic distinctioni, hortati ut maneret in Apostolica simplicitate.

Respondit Resenius: Ero satis simplex, et libentur in posterum me accommodabo ad phrases usitatiores simpliciores in Ecclesia nostra receptas. Prius illud est generale de sapientia Dei, quod infinities superat intelligentiam captus nostri, et sic ab illo accuratius intelligitur Trinitas propria, idque infinities quam a nobis, nec non mysteria omnia, tanquam species sub illo genere, differentis sapientiæ Dei et intelligentiæ nostræ: atque ita recte accommodari quæ citata sunt.

Ad 9. recte intellecta admittere.

Ad 10. Deum esse in seipso non negamus, juxta censuram de 5 cap.

Ad 11. convenire de usu vocis naturæ et nihil propterea de ea amplius monere.

Ad 12. Quo ad *συναμψώτερον* convenerunt cum illo, quatenus humana Christi essentia, ab æterno constituta, non statuatur, sev id non inferatur, ad constitutionem naturæ humanæ, quomodocunque.

Respondit Resenius, id non dici, sed tantum hoc intelligi, quoad provisionem sev visionem, ut in præsentialitate Dei tantum, sicut sæpe dictum est.

Illi: Sed quæ tunc differentia Christi et nostri erit Deo, isto modo?

Resenius: permagna scilicet; nam sicut in natura differt a nobis homo Christus, subsistentia sua divina, propriissima

unica, utriusque naturæ: ita etiam in prævisione, eadem differentia est; quam consideravit fides patrum, ut non fuerint destituti prorsus mediatore juxta Photinianos: qui ita ex fundamentis refutandi sunt.

Illi: Itane statui existentiam simul æternam Deo?

Resenius: existentiam esse temporalem tantum: et modo existentia, non esse res æternas Deo, sed superiore, transcendente. Duo hic considerata esse in Deo ad rei explicationem; primum distinctionem omnium accuratissimam in sapientia perfectissima, cui nihil accedit per tempus, quæ infinitissima est et immutabilis etc. 2. Præsentiam unam omnium absque divisione drastematum seu intervallorum: sicut mille anni ipsi ut dies sesterna etc. Utrumque esse revelatum manifestissime in scriptura et de distinctione et non admittenda divisione propterea: atque ita nodum prorsus solutum.

Illi: mirum nos idem sentire sed non posse idem dicere, et quod habeamus unum cor sed non unam linguam.

Resenius (facete): Deus per diversitatem linguarum multarum, in unitate fidei gentes congregat; licet id propriissime huc non spectet etc.

Ad revensionem insertorum.

Ἀνθρῶποπαθείας Explicationem non rejici juxta notas ad Articul. Dicto obiter simul, desiderari ut non tam phrases explicentur, quam in synceriores mutantur.

De trina facie nihil præter præmissa in censura generaliter.

Ad inserta cap. 4. phrasi opere et actu non adstrui essentias æternales.

Resenius: imo temporales tantum, ut dictum est.

Ad cap. 5. quæ dicit esse in scholiis super text. Philip. ad Colos. 3. sibi non visa. Ad inserta cap. 7. propriissime tantum allegari dicta citata ad probandam divinitatem Christi.

Resenius: quod præterea additur, est ex prævisione, seu visione Dei ut superius, etiam quoad humanitatem, propter

vocem concreti, nempe Christi fide integre concipiendi, ad refutandos Photinianos.

Illi: Qvomodo hoc differret a Svenchfeldio?

Resenius: Adeo multum: ille intellexit humanam naturam q. increatam, positive et per se etc. nos prævisive et ut Deo tantum etc. juxta cap. 4.

Ad ultimum erat ferme. Hæc adjecimus, non ut provocaremus D. D. Resenium ad ulteriorem replicationem, sed ut satisfaceremus mandato regio et ipsius S. Majest. judicio gravissimo commendaremus, qvæ facerent ad pacem et concordiam Ecclesiæ.

Qvæsiverunt Episcopi num aliquid desideraret D. D. Resenius in hac censura.

Et ille: nihil, dummodo recte omnia accipiuntur, sed se agere illis gratias.

Interpellabat Mag. Rector: quantum ego video, omnia inter vos quam rectissime conveniunt. Itaqve de hac *συμπυχή* nobis ex animo gratulor, et vobis omnibus gratias, quas possum, ago maximas.

Episcopi rogarunt Dnos Professores, ne existimarent dicta aliqua fuisse ad dissentiendum ab ipsis: sed tantum ut responderent mandato S. R. Majestatis. Et convenit de eo qvoque amice.

Atqve de contestatione hujus consensus rogarunt Episcopi Mag. Dm. Rectorem, iret una secum ad Illustrem et Mag. Dn. Vicarium regium, sicut ille svaserat, cui hoc jam significaretur: dum scribebantur ex actis suffragia professorum, ipsi qvoque statim offerenda, ne quid esset in mora profecturis.

Una igitur cum Mag. Rectore iverunt nomine omnium Episcoporum M. Christianus et M. Paulus, atqve ita hoc factum est.

Dimissi igitur, datis dextris amicitiae et fraternitatis, cum gavdio et mutuis comprecationibus.

Exscribebantur interea ista sub titulo:

Suffragia Mag. Dni. Rectoris et reliquorum Dnorum Professorum, qui in domo consistorii una cum Dnis Episcopis avdiderant a 4 Jul. ad 8 ejusdem prælegi scriptum Apologeticum D. Joh. Resenii, una cum insertis nonnullis suis locis postmodum ad explicationem uberiores, item replicatione ejusdem ad primam ventilationem seu censuram eorundem Dnorum Episcoporum, donec ultima eorundem resolutio avdita est ibidem 19. Jul. Anno 1614.

Quandoquidem ab illustri etc. ut supra.

Et conclusio erat: Atque hæc ita ex actis Academiæ exscripta sunt, postquam ultima replicatio Dnorum Episcoporum recitata erat in domo consistorii 19 Jul. 1614.

Reversus vero Mag. D. Rector ad nos in consistorium, retulit id sic expeditum apud illustrem Vicarium Regium, qui, intellecto consensu amico, dixerat, pro gaudio hoc sibi accidisse gratissimum, et quidem pro magna summa etc. gratias agens Deo ex animo, cum voto pio ad gloriam ejus et salutem Ecclesiæ perpetuam. Amen.

Exscriptum eorum, quæ Domini Episcopi totidem verbis obtulerunt illustri Dn. Vicario Regio, Dn. Bredoni Rantzovio.

Serenissime et Clementissime Dne, Rex potentissime, ad Regiæ V. M^{ti}s mandatum, una cum clarissimis D. D. Professoribus in consistorio die IV. mensis jam currentis primum comparuimus, ubi nobis est prælectum primum Cap. scripti Doctissimi Viri, D. D. Johannis Resenii. Eo autem finito, postulavit ipse a D. D. Professoribus et nobis, ut statim censuram nostram adderemus. Quod etiam a quibusdam factum est. Nos vero debita reverentia protestati sumus, gravius et majoris momenti esse hoc negotium, quam ut re diligenter non perpensa et æstimata, sententiam

aliquam ferre possemus. Atque ideo obnixè petiimus, ut copia nobis fieret relegendi et pensitandi hoc scriptum, in hospitio nostro, data tamen fide, nos illud nec descripturos, nec cuiquam communicaturos. Sed denegabatur hoc nobis, et tantum concedebatur, declarationem hanc D. D. Resenii in consistorio relegere quoties liberet. Quamobrem absoluta tandem continuis aliquot diebus publica hujus scripti lectione, nos privatim quoque illud semel tantum propter temporis angustiam et locum non satis competentem, revidimus et repetivimus. Accessimus deinde D. D. Resenium, et placide cum ipso de quibusdam articulis et phrasibus contulimus. Sed quia illa suas et phrases et sententiam videbatur non mutare, sed defendere velle, addita sua declaratione, in qua satis tamen acquiescere non potuimus, cum ad omnia pene objecta responderit per distinctionem Deo et Nobis, amice ab eo tum temporis discessimus.

Postea autem curavimus a Mag. D. Rectore, convocari D. D. Professores in consistorium, ut absente D. Resenio, cum illis communicarem consilia, et sententias conferremus de censura hujus scripti facienda. Sed cum eo venissemus jam antea res erat inter ipsos et D. Resenium, ut apparuit, deliberata et conclusa; qui etiam priusquam nobis quicquam profari licuit, declaratiunculas quasdam quorundam momentorum attulit, de quibus in privato colloquio eum admonueramus, quas volebat tractatui suo inseri. Obtulit se præterea ad uberiores declarationes, si necessitas ita postularet.

Cum autem jam conceptam haberemus censuram scripti ipsius, quale erat, cum illud legeretur et relegeretur, et ne verbulo quidem de novis suis declarationibus nos certiores fecerat: nec tam subito eas vel recte percipere, vel probare possemus: Et simul perspiceremus rem totam a D. D. Professoribus, non communicatis nobiscum sententiis, dudum esse conclusam: Mag. D. Rector primum suum suffragium recitari fecit. Postea nostram generalem et specialem de singulis capitibus censuram, qua fieri potuit moderatione

scriptam prælegimus: quanquam in eum finem consistorium non conscenderamus, ut tum aliquid pronunciaremus; sed ut de sententia ferenda cum D. D. Professoribus deliberaremus, sicuti prius meminimus.

Postremo reliqui D. D. Professores tum præsentēs partim scripto partim viva voce sua suffragia ordine tulerunt.

Atque hanc narrationem breviter et reverenter præmittere volumus de processu in totius hujus negotii tractatione observato. Quia avtem Sereniss. vestra Regia Majestas clementer in mandatis nobis dedit, ut Clariss. D. D. Resenii declarationem, non solum legeremus et expenderemus, verum etiam, ut si quid in ea desideraremus, id scriptum V. Mat^{is} generoso Dno Vicario traderemus: nos huic mandato quam humilime parebimus, censuram nostram iisdem verbis, quibus proposita fuit in consistorio, subjicientes, salvo interim superiorum et aliorum judicio, qui hæc rectius intelligunt, quibusque hæc diligentius perlegendi et æstimandi facultas conceditur. Spiritus Dei bonus deducat nos in viam rectam, detque nobis sapientiam adstricticem throni sui, ut præsens versetur in labore nobiscum, et cognoscamus et faciamus tantum quod Deo gratum sit, et Ecclesiæ salutare.

Agnosimus avtem D. Resenium erudite et magno cum labore sua pene omnia concinnasse cum ex Patribus et Lutheri inprimis scriptis, tum ex Scholasticis doctoribus, pontificiis, et interdum etiam Philosophis. Verum de hisce Orthodoxorum præcipue Patrum et Theologorum avtoritatibus et citationibus censuram ferre nostri non est judicii: Præsertim cum tempore et Bibliothecis nostris exclusi, nec avtores evolvere et antecedentia et consequentia conferre (quod tamen ad genuinum locorum citatorum sensum intelligendum est necessarium) queamus: nec declarationem D. Resenii domi et in hospitio ad manus habere et expendere nobis liceat: Sperantes tamen interea, eum bona fide ejusmodi avtorum sententias adduxisse.

In genere igitur tantum de hisce omnibus cum B, Luthero⁵ asserimus: Uni et soli verbo Dei credendum est, non canonibus, non sanctorum Patrum dictis, nisi quatenus cum verbo Dei consentiunt. Item sciamus Patres legendos esse cum iudicio, nec articulos fidei ex Patrum sententiis faciendos etc⁶. Fuerunt enim magni viri, sed tamen homines qui lapsi sunt et potuerunt labi, ne efferamus eos ut Monachi, qui sic adorant omnia eorum, quasi non protulerunt peccare. Neque existimamus locutiones et phrases, quæ in magnorum virorum libris reperiuntur, omnes ita commodas esse, ut eas in mysteriis fidei et Religionis nostræ recte explicandis, semper tuto uti possimus: Sed de illis tantum cum Orthodoxa Ecclesia receptis et approbatis formis et phrasibus perspicue loquendum censemus. Lavde etiam etiam dignissima est magnæ Britaniæ magni et potentissimi Regis ad ordines Belgii oratio, cum dicit: nefas esse de sacrosanctis Divinæ essentiæ mysteriis, Trinitatis, hypostaticæ naturarum in persona Christi unionis et similibus, sermonem habere aliis verbis, quam quibus Ecclesia, eadem tractans mysteria, viam nobis in loquendo præbuit.

Præmissa hæc qualicunque commonefactione generali, singula capita tractatus D. D. Resenii accedamus, et quid de illis (quantum quidem ex lectione extemporali meminisse potuimus) sentiamus, absque omni præiudicio et dissentienti ac contendendi studio, candide indicabimus.

Caput I et II.

Quantum duo priora Cap. sc. de Sancta Fide, dono Dei inenarrabili, et de objecto Fidei, vivo verbo Dei attinet etsi præsens negotium juxta sententiam Reg. M^{gis} Coldingi latam, et nostram protestationem non directe concernant:

⁵ In Gen. Tom 2, fol. 163.

⁶ In Gen. Tom. 4, in cap. 42, pag. 114. In Gen. Tom. 1, Cap. 2, p. 35.

tamen ea non improbamus; modo omnia secundum sacræ scripturæ et librorum in Ordinatione et Rescriptis Regiis, Ecclesiis et Scholis nostris commendatorum Analogiam, doctrinamque huc usque apud nos traditam et receptam, dextre intelligantur, in qva, ut hactenus, ita etiam deinceps per Dei gratiam constanter perseverabimus.

Caput III.

In hujus capituli doctrinā de Deo Triuno, nihil desideramus. Phrasis tamen illa in declaratione ex thesibus de Deo Triuno thes. 74 ex Islebio, auctore alias suspecto, repetita, qva tres personas nobis κατ' ἀνθρωποπάθειαν nostraque causa nominari dicit, tanquam nova et dubia, non videtur in nostris Ecclesiis absque simpliciorum offensione admitti posse: ne ita realis personarum distinctio, (qvæ proprie juxta primum Artic. Confess. Avg. intelligenda est) tollatur, avt in dubium vocetur. Etsi D. Resenius referat ἀνθρωποπάθειαν ad vocem personæ, tamen controversia hic non est de vocabulo personæ, sed de ipsa sententia, utrum videlicet proprie et realiter absque omni tropo, tres sunt distinctæ personæ in unica et simplicissima Divina essentia, juxta dictum Johannis (5, 7): Tres sunt qui testantur in Coelo, Pater, Sermo et Spiritus, et hi tres unum sunt; quod ut Spiritus Sancti testimonium omnino retinendum judicamus.

Caput IV. De notione Dei æterna.

Etsi constanter credimus Deo omnia sua opera ab æterno nota esse, et nihil ei futurum, sed præsentia universa, tamen inde, et ex hac Dei notione et sapientia æterna, in Christo θεανθρώπων hominis essentiam, ut et rerum omnium essentias, Deo æterno realissime æternas esse sub ratione sui qvavis verissima (ut colligitur ex thes. 9 disp. 1. De Mediatore) nunquam hactenus in Ecclesiis et Scholis nostris assertum esse avdivimus. Qvin

etiam periculosum videtur dicere, omnium rerum essentias, quæ sunt, fuerunt aut erunt, actu semper et æternaliter esse in ipsa Dei essentia infinitissima, imo ipsam modo quodam, ut cum Cusano lib. 1. cap. 16. hic loquitur D. Resenius.

Deinde quæquam distinctionem addat D. D. Resenius, hæc omnia Deo non Nobis intelligenda esse: tamen nisi expressis scripturæ verbis, quoad utramque sui partem hæc ostendi potest, consultius arbitramur, ab ejusmodi locutionibus abstinere, propter varias absurditates et incommoda alia, quæ inde oriri possunt, præcipue apud imperitam multitudinem, et retinendam formam sanorum verborum et fidelis sermonis, qui facit ad doctrinam, ut inquit Apostolus⁷. Nam teste Lutero⁸: Insania est disputare multa de Deo extra et ante tempus, quia id est velle comprehendere nudam Divinitatem, sev nudam essentiam Divinam etc.

Caput V.

In hoc capite de Deo in Coelo D. Resenius ex locis scripturæ Luc. 15. v. 18. et 1. Maccab. 3, 60. Deum quodammodo Coelum dici affirmat. Nos tamen juxta Scripturam statuimus aliud esse Deum ipsum in Coelis, quem Coeli Coelorum non capiunt, cum ipse Coelum et terram impleat⁹: aliud vero ipsum Coelum, sev sedem beatorum, quod Philip. Melancton locum vocat coelestem¹⁰, de quo Christus: Vado paraturus vobis locum¹¹, quem D. Pavlus sursum nominat, et nos distinctum credimus ab inferno et loco damnatorum. Interea tamen cum Avg. fatemur coelorum secreta discutere, non esse fragilitatis humanæ.

⁷ 2. Tim. 1, 13. Tit. 1, 2.

⁸ Tom. 1. Cap. 1. in Gen.

⁹ 1 Reg. 8. Jer. 23.

¹⁰ Tom. 4. ad Col. 3, pag. 358.

¹¹ Joh. 14. v. 2. 3. Matth. 25. v. 34. 41. Luc. 16. v. 23. 26.

Caput VI.

Doctrinam hujus capituli de duabus essentiis seu naturis in Christo Jesu amplectimur. Agnoscimus enim illas voces, Naturam sc. et essentiam, a Patribus *συνωνύμας* acceptas et usurpatas fuisse: satius tamen esse judicamus vocem naturæ retineri, ne simpliciores in Scholis et Ecclesiis nostris, qui ad eam assveverunt, turbentur.

Caput VII.

Quæ hic de uno Mediatore Dei et hominum, homine Jesu Christo, continentur, approbari possunt, modo in allegatis Scripturæ et Patrum testimoniis sub vocabulo Christi et Messiae non intelligatur utraque natura ab æterno et ante incarnationem et unionem personalem simul essentialiter fuisse, quod astruere videtur quorundam locorum Scripturæ interpretatio: Joh. 1 v. 1. 2. 15. 27. Joh. 8 v. 56. 57. Hebr. 13 v. 8. Apoc. 13 v. 8. (quos tamen Philippus in locis communibus ad naturam Divinam refert), et citatio dicti Athanasii: Christus *τὸ συναμφότερον νοεῖται*, quod non ante, sed post incarnationem, verum esse existimamus, sicut ex Fulgentio liquet dicente: Verbum priusquam caro fieret, non erat Christus, sed tantum Deus: Item (ex) Vigilio, antequam forma servi esset accepta, nondum fuit Christus, sed tantummodo Verbum, i. e. antequam esset homo, nondum erat homo, sed tantummodo Deus.

Caput IIX.

Huic loco de Idiomatum communicatione juxta definitionem Lutheri et Philippi sic propositam libenter subscribimus, statuentes realem idiomatum communicationem in unitate personæ Jesu Christi, non autem in naturis inter se, et detestantes æqualiter divisionis, commixtionis, exæquationis et confusionis *ἐνεργειῶν* hæreticorum blasphemias.

Caput IX.

De Enchiridio Catechetico ejusque commendatione, quæ hic præcipue tractatur, nulla est inter nos disceptatio, modo

nihil derogetur avt detrahatur doctrinæ avt ceremoniis publice in Ecclesiis nostris hactenus receptis. Atqve hæc fuerunt, qvæ de hoc tractatu, ejusqve singulis capitibus pro angusta præsentis temporis conditione et re nata censere potuimus: non ut judicium aliquod avt de summorum virorum avtoritatibus, avt de clariss. doctissimoqve D. D. Resenio nobis sumamus avt arrogemus: sed ut sepositis omnibus affectibus pravis, voluntati et mandato Celsissimæ Reg. M. humile et promptum (pro-ut par est) obsequium præstemus, moremque geramus. Nec officio nostro deesse debuimus, ne turbetur tranquillitas et concordia Ecclesiarum et Scholarum nostrarum, hominesque abducantur a simplicitate doctrinæ et phrasium, qvibus concilia in Symbolis, Avgustana confessione et Agologia nostræ, et aliæ Orthodoxæ Ecclesiæ, avctoresque in libris nobis commendatis, publico consensu hactenus usi sunt.

Nam ut sinistræ non tam opus est dextra manu, qvam Ecclesiæ concordia, ut Basilius M. inquit: ita de essentia Divina, Trinitate, natura Divina et humana et earundem hypostatica in persona Christi unione, qvæstiones cudere: avt de his loqvendo discedere ab iis verbis, qvæ ab Ecclesia Christi primitus concepta, et seculorum succedentium unanimi consensione approbata, Symbolis fidei Orthodoxis continentur, et in qvatuor generalium Conciliorum sanctionibus explicantur, nemini licitum esse judicamus.

Qvam ob cavsam unice etiam optaremus, modo ita Sereniss. Reg. M^{ci} placeret, ut D. Resenius novos et inusitados in nostris Ecclesiis terminos ac loqvendi formas (qværum aliquvæ etiam in Scripto apologetico repetuntur) non defendat, sed potius mutet et emendet, ac formas receptas gravi et vera avtoritate propter uniformitatem et concordiam in Ecclesiis et Scholis servandam retineat et in posterum usurpet. Qvanqvam enim conetur ostendere quasdam suas phrases a D. Luthero P. M. et vetustioribus qvibusdam etiam fuisse adhibitæ et prolata, tamen vix monstrari potest Ecclesias et Academias Avgustanam Confessionem sincere

amplectentes unanimi consensu de Sancta Trinitate, de duabus in Christo naturis et earundem unione personali sic esse locutas. Omnino avtem necessaria est, ut Chemnitius scribit, in Ecclesia diligentia recte, proprie et explicate loqvendi de rebus necessariis: Alias enim docentium animi distrahuntur, discentes perturbantur, infirmi offenduntur et carni prætextus præbetur ad petulantiam et licentiam. Recte igitur sentiamus et explicate loqvamur; ita Spiritus S. beneficio Ecclesiam ædificabimus. Eleganter enim Avgustinus de illis, qui recte quidem sentiunt, non avtem recte loqvuntur, inquit: *Mentem teneat, linguam corrigat.* Et referente eodem Irenæus eleganter et vere dicit, proprium esse Ecclesiæ *τὰ ἀντὰ περὶ τῶν ἀντῶν* et sentire et loqui; fanaticis vero tribuit portentiloquia; ita enim interpretes reddidit *τερατολογίας*. Impossibile avtem est retinere doctrinæ puritatem in Ecclesia, sine cura simpliciter et proprie loqvendi. Hactenus Chemnitius.

Porro summa animi devotione, majorem in modum oramus Serenissimam Reg. Ma^{tem}, ut hæc omnia, quæ, pro libertate, quam nobis clementissime in hac disquisitione concessit, dicta sunt, non ex ulla malitia, avt litigandi et dissentiendi, avt carpendi studio, sed Christiano et simplici pectore, dignetur pro bonitate sua vere heroica in meliorem partem interpretari et accipere. Nos si quid avt imprudentius diximus, avt in subita relectione scripti Apologetici satis assecuti non sumus, id ideo factum est, quia scriptum ad manus habere nobis non est indultum.

Deus Pater Domini nostri Jesu Christi, qui cor Regis in manu sua habet, et Reges ipsos Ecclesiæ suæ nutricios constituit, ætatem ætati V. Ma^{tis} propitius adjiciat, et omnium Spiritualium et Corporalium bonorum genere V. M^{ti} benedicat, et puritatem ac pacem religionis in hisce regnis et alibi perpetuo conservet, ut in filio Dei

Sint unum, doceant unum, fateantur et unum,

Qui bene de Christi nomine nomen habent. Amen.

Scribebantur Hafniæ die 15 Julii Anno a partu Virginis 1614.

Sereniss. Reg^æ Ma^{ti}s subjectissimi

Joannes Ægidius. S. A. sua manu.

Nicolaus L. Arct. S. V. m. pp^a.

Johannes Canutus S. F. m. p.

Christianus Johannis S. V. ma. pp^a.

Paulus Martinus S. L. ma. pp^a.

Ivarus Hemmettæus S. R. m. pp^a.

De replicatione D. D. Johannis Resenii admonitio.

Postquam censura nostra die 15 Julij, ut antea commemoravimus, lecta fuit in Consistorio, et in eam formam redacta ac descripta, qva Celsiss. Reg. Ma^{ti} eam hic debita animi cum subjectione exhibemus: postridie per Pedellum ad nos missa est replicatio D. Resenii (cujus exemplar hisce adjungimus) cum recensione quadam eorum, qvæ inserta sunt quibusdam capitibus in ipsius declaratione apologetica, sicuti superius hujus rei mentionem injecimus.

Verum huic ipsius replicationi nihil respondere jam volumus propter causas mox recensendas, sed in eam tantummodo notas quasdam consignavimus, quas etiam Sereniss. Vestræ Ma^{ti} humiliter offerimus supplices obsecrantes ut dignetur M^{tes} V. Regia clementia etiam hæc minutula acceptare, et in meliorem partem interpretari.

Causæ avtem cur ipsi D. Resenio responsum ad ejus replicationem non dederimus, hæ fuerunt:

I. Qvia a Ser. Reg. M^{te} tantum in mandatis datum erat nobis, ut scriptum Apologeticum (cujus exemplar jam ante Sereniss. R. Ma^{ti} exhibitum D. Resenius affirmavit) cum D. D. Professoribus legeremus, expenderemus, et vel probaremus vel improbaremus, censuramqve nostram si quid desideraremus V. Maje^{tis} Generoso D. Vicario scriptam et obsignatam traderemus. Hujus avtem nostræ instructionis limites transgredi Celsiss. V. Ma^{te} inconsulta nefas esse duximus.

II. Quia ex nostra censura responderi posse ad pleraque hujus replicationis momenta existimavimus.

III. Quia verebatur, ne, si ad hanc replicam responsionem aliquam adornarem, occasio daretur, novis et parum utilibus disputationibus et replicationibus (atque ita fieret progressus quasi in infinitum) quod et ante Regiis mandatis esse interdictum probe novimus et in præsentī etiam causa esse prohibitum, D. Resenius in Consistorio dixerat.

Speramus itaque Sereniss. R. Mat^{em} hujus facti nostri rationes non improbaturam, sed dictis nostris ad replicationem notis clementer acquieturam: quod etiam ut fiat humili pectore obnixe oramus. Deus Opt. Max. Reg. V. Maj^{tem} suo sub præsidio quam diutissime conservet, in omnibus fortunet et spiritu sapientiæ et intelligentiæ consilii et roboris, scientiæ et timoris Jehovæ regat et gubernet, ad nominis sui gloriam, et ad indubitatam R. V. Maje^{as} Ecclesiæ et horum regnorum salutem. Amen.

Notæ quædam breviores ad replicationem D. D. Resenii^{1 2}.

Ad artic. 1.

Huic articulo respondimus in generali nostra censura de Patrum citatorum a D. Resenio auctoritatibus, neque aliter in scholis doctrinam de sacrosanctæ Trinitatis et unitatis mysteriis, de naturis Christi et earundem unione hypostatica, et similibus fidei nostræ articulis tradendam judicamus, quam in scripturis Ecclesiæ purioris, Confessione, Symbolis, et syncerorum Avgust. Confess. doctorum scriptis, et nominatim nostrarum Ecclesiarum et Scholarum libris, hactenus in Ecclesia factitatum est.

Ad 2 Articul.

Quatenus et quomodo de 1. et 2. cap. consentiamus in horum capitum censura clare dicitur.

^{1 2} Dette Resens Svar er det, som begynder hos *Pontoppidan* III, 674, og hvoraf Slutningen (11te til 14de Artikel) foran S. 420—21 er meddelt.

Ad 3. 4. et 5. Artic.

Rectum D. Resen. 'sensus, qvod proprie tres distinctæ personæ in unica Divina essentia subsistere, recipimus: sed *ἀνθρωποπάθειαν* et Islebii loqvendi formam non probamus.

Ad 6. Artic.

Hic articulus obscurus et novus ex parte nobis videtur: Et locutiones ejusmodi ad Dialecticorum et Metaphysicorum Scholas qvam ad veram Theologiam pertinere putamus.

Ad 7. Artic.

De Cusani dicto qvid sentiamus, censura cap. IV. exprimit. Nec statuimus æternam Dei notionem et sapientiam sev *πρόγνωση* (ut Petrus appellat) qva omnia ei sunt præsensissima, et nihil futurum constituere rerum, qvas in tempore creare Deus decrevit essentias. Existimamus præterea Divinum hoc mysterium, qvod omnia Deo ab æterno sint et fuerint præsensissima; qvæ post multa tamen secula, avt in fine mundi futura vel creanda sunt, credendum et non extra scripturam scrutandum esse: nec magis ratione humana hoc capi posse, qvam qvomodo Deus sit unus et trinus etc. Atqve ideo hujusmodi disputationes omitendas esse.

Ad 8. Artic.

De distinctione Deo et Nobis qvatenus amplectanda sit, censura cap. IV. monuimus. Utrum vero ejus usus sit utilis et necessarius in summo isto art. fidei, ad qvam eam refert D. Resenius in suis thesibus, Theologis doctoribus æstimandum relinqvimus, nec eo pertinere videntur exempla distinctionis, qvæ heic adferuntur.

Ad 9. Artic.

Hæc recte intellecta admittimus.

Ad 10. Artic.

Deum esse in seipso non negamus: et qvæ nostra sit de Coelo sententia Cap. V. Censura explicavimus.

Ad 12. Artic.

Qvomodocunqve *συναμφοτέρον* dicitur de Christo, nobis disceptandum esse non arbitramur, modo non statuatur

humana ejus essentia æterna fuisse, et anteqvam in plenitudine temporis concepta est ex Sp. S. et nata est ex Virgine Maria.

Qvod avtem recensionem attinet eorum, qvæ inserta aliquot capitibus sui tractatus D. Resenius memorat, in procemio censuræ nostræ præmisso, monuimus illa addita non fuisse, cum scriptum illius legeretur et relegeretur, et censura nostra conscriberetur. Declarationem tamen ipsam non rejicimus, si recte intelligatur et explicetur ad amussim illam, cujus mentionem fecimus superius in nota ad art. I.

In genere tamen non diffitemur nos desiderare ut phrases et termini, quibus Ecclesiæ nostræ antea non sunt usæ, non tam explicentur, quam ut in formas receptas et approbatas deinceps mutantur, si Clementiss. R. Ma^{ti} ita visum fuerit.

Qvæ D. D. ad Cap. 4 inseruit, qvod nimirum, qvæ dicta sint præsentia Deo ab æterno, non sint intelligenda de existentia in tempore et natura, aliud non esse, quam ea non existere opere et actu, improbare nolumus, si essentiæ æternitas rerum creatarum inde non extruatur. Nam non minus futurorum existentia, quam essentia Deo ab æterno nota fuit. Ut taceamus distinctionem hanc inter existentiam et essentiam Metaphysicam esse, illiqve relinqvendam, non avtem in agros Theologicos hoc pacto transplantandam.

Ad Cap. V. Qvæ D. D. addidit de suis scholiis in Cap. 3. ad Collo. pro Phil. Melanctonis phrasibus benigne recteqve accipiendis, ea nobis non esse visa fatemur. Qvæ inseruntur ad Cap. 7. acceptamus, sed gratum nobis esset, si expressius diceretur, hæc scripturæ dicta tantum ad demonstrandam verissimam Divinitatem filii Dei propriissime usurpari, non avtem ad æternitatem utriusque naturæ asserendam detorqvenda esse.

Hæc adjecimus, non ut D. D. Resenium ad ulteriorem replicationem avt disputationem provocaremus, sed ut S. R. Ma^{tis} gravissimo judicio rem omnem subjiceremus, nihil

magis in votis habentes, quam ut omnis concertatio imposteriorum omittatur: quod futurum speramus, si D. D. Resenius modos loquendi in nostris Ecclesiis usitatos retinere, ut se offert, voluerit: quo omnia in Dei gloriam et publicam harum Ecclesiarum pacem et concordiam dirigantur, Amen.

Seren. Reg. M. subjectiss.

Superintendentes.

Hasce notas postea ex consilio ill. et Gen. Dni Vicarii Regii publice in consistorio recitavimus, quibus acquievit D. Resenius, simul promittens se satisfacturum petitioni nostræ, Epilogo notarum insertæ, de retinendis loquendi in nostris Ecclesiis modis usitatis et approbatis. Actum Havniæ 19. Julii Anni 1614.

Seren. Reg^a Maj^{ti}s subjectissimi

Joannes Ægidius S. A. man. pp^a.

Nicolaus L. Arctander S. V. m. pp^a.

Johannes Canutus S. F. m. pp^a.

Christianus Johannis S. V. ma. pp^a.

Pavlus Martinus S. L. m. m.

Ivarus Hemmettæus S. R. m. s.
